


tem accidentalia illas appellamus qualitates actiuas, quæ tanquã effectus ab oppositis oppositorum principiorum simpliciu actionibus deriuantur, suntq; numero duæ, Caliditas nempe, à lucis motu scaturiente, & Frigiditas à tenebrosa voragine caloris, insultus repellendi gratia, emissa: Simplicia autem accidentia, de simplicibus ab horum simplicium actionibus oppositis propagata, humiditatem nuncupamus atque siccitatem. Ex his igitur principiis tam materialibus quam formalibus, mediantibus illis accidentalibus quæ ab iis emerferunt, more physico creatus est mundus, atque firma eorum permanentia, sine alteratione euidenti, vsque ad vltimum donec pereat in eodem statu permanebit. At vero in Microcosmo cum cæteris mistis perfecte res aliter longe se habere dignoscitur, hocque respectu principiorum suorum imperfecte mistorum, quæ propinquiora sunt ipsorum initia: utpote quibus datum est assiduis mutationibus alterari, quatenus in perpetuo sunt, vel ad generationem vel ad corruptionem motu, quemadmodum infra suo loco clarius demonstratum est. Principia ergo mixta sunt vel primaria, videlicet quæ à substantialibus naturæ principiis secundi ordinis ab elementis nempe immediate & proxime abstrahuntur, & huiusmodi duo à Philosophis esse recensentur, Vapor scilicet & Exhalatio; vel secundaria, hoc est à primariis immediate profluentia, cuiusmodi sunt Meteora seu imperfecte mista, ex quibus corpora composita immediate producuntur, & mediantibus quibus in primaria iterum elementa sua dissolutione resultant: Hæc autem principia methodi succinctioris causa hunc in modum contraximus.



De his autem omnibus fusius (Deo volente) idq; separatim agemus, vt via planiori ad effectus Macro & Microcosmi cum salubres & naturales, tum insalubres & præternaturales perueniamus.

C A P. III.

De absolute simplicibus rerum naturalium substantiis seu Meteororum tam Macro quam Microcosmicorum principiis primariis.

Quoniam alibi abunde de principiis Mosaicis (quæ nos in Philosophia nostra vt etiam Philosophos omnes reuera Christianos decet sequimur) videlicet vt per totum librum primum physice